

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

*Level One Medieval Latin Examination*

**9 September 2020**

.....

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

**1. Saint Germanus practises sustainable livestock management**

Cum ipse homo dei venisset ad ostium urbis cum comitibus suis, venit portarius et salutavit eos, et miserunt eum ad regem, et rex durum responsum dedit illis et cum iuramento dixit: “Si fuerint vel si manserint usque ad caput anni, non venient umquam in medio urbis meae.” Dum ipsi expectarent ianuatorem, ut nuntiaret illis sermonem tyranni, dies declinabat ad vesperum et nox appropinquabat, et nescierunt quo irent. Interea venit unus de servis regis e medio urbis, et inclinavit se ante virum dei, et nuntiavit illis omnia verba tyranni, et invitavit illos ad casam suam, et exierunt cum eo, et benigne suscepit eos. Et ille nihil habebat de omnibus generibus iumentorum excepta una vacca cum vitulo, et occidit vitulum et coxit et posuit ante illos. Et praecepit sanctus Germanus, ut non confringeretur os de ossibus eius, et sic factum est; et in crastino vitulus inventus est ante matrem suam sanus et vivus incolumisque.

## **2. A blessing of iron to be used in a trial by ordeal**

*Benedictio ferri feruentis:* Deus omnipotens, deus Abraham, deus Ysaac, deus Iacob, deus omnium bene uiuentium, deus, origo et manifestatio omnis iustitię, qui solus es iustus iudex, fortis et patiens, dignare exaudire nos, famulos tuos orantes ad te pro benedictione huius ferri. Unde rogamus te, domine, iudicem uniuersorum, ut mittere digneris sanctam et ueram benedictionem tuam super hoc ferrum, ut sit refrigerium illud portantibus et habentibus iustitiam et fortitudinem, et sit ignis ardens iniquis et facientibus iniqua et credentibus in iniustitiam suam et pompam diabolicam. Conuerte, domine, incredulitatem iniustorum per uirtutem et benedictionem tuam et per inuocationem sanctę Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et mitte in hoc ferrum uim uirtutis tuę ac ueritatis, ut in eo semper per misericordiam et uirtutem tuam uerissima iustitia, quę tibi soli cognita est, fidelibus tuis ad emendationem iniquorum manifestissime declaretur, de quacumque questione ratio fuerit agitate.

## **3. Some of the responsibilities of the monastery librarian**

Armarius omnes ecclesiae libros in custodia sua habet, quos omnes nominibus propriis sigillatim annotatos habere debet et per singulos annos ad minus bis aut ter eos exponere et recensere et, ne in eis aliquid uel tinea uel alia qualibet corruptela infectum uel exesum sit, diligenter considerare. Numquam armarius libros praestare debet, nisi ab eo, cui praestat, uadimonium accipiat, ita ut si persona ignota fuerit, etiam aequae ualens sit ipsum uadimonium, et nomen illius, cui praestat, scilicet siue ignotus siue notus sit, et nomen libri, quem praestat et uadimonium quod accipit, totum in breui annotatum retineat.

Maiores autem et preciosiores libros sine licentia abbatis praestare non debet.

Quicumque de fratribus intra claustrum scriptores sunt, et quibus officium scribendi ab abbate iniunctum est, omnibus his armarius prouidere debet, quid scribant, et quae ad scribendum necessaria sunt praebere, nec quisquam eorum aliud scribere, quam ille praeceperit.

#### **4. How to talk to a penitent**

Dicendum est etiam penitenti quod non erubescat confiteri, quia multum diligit deus talem erubescantiam, et ipsa est magna pars satisfactionis.... Preterea dicendum est penitenti quod ipse confiteatur omnia peccata sua simul et omnia suo sacerdoti, quia sicut ait beatus Augustinus: Nescit dominus recipere dimidiam penitentiam, quia nescit dimidiam dare veniam. Nec potest sacerdos absolvere aliquem ab uno peccato, nisi fuerit absolutus ab omnibus, nec potest absolvere ab aliquo peccato quod penitens non fuerit confessus. Unde si aliquod peccatum celat, nulla est confessio, nulla est absolutio. Hec et his similia debet sacerdos proponere a principio, quia valde indiscretus est sacerdos qui incipit ex abrupto dicens penitenti statim in principio: Dic peccata tua. Debet autem attendere quod bubulcus non solum habet stimulum ad pungendum boves suos, sed etiam habet sibilum et cantum ad demulcendum eos. Similiter sacerdos aliquid dulce et molle debet proponere antequam pungat. Unde et dominus quasi ad captandam benevolentiam brevem prologum premisit in dominica oratione antequam aliquam petitionem faceret.